

1589 fortunæ pendeant : neque , quod aliquando Navarræus hostis fuisset , ab ejus idcirco societate abstinentem ; Regi , ex regia stirpe prognato , Galliæ incolumitatem tueri potissimum conducere : neque novum neque inusitatum indecensve esse , Regem alterius Regis opem atque auxilium implorare : quem enim vel in privata locatum , vel regia fortuna subnixum esse animadvertis , qui non eorum , qui sibi cognatione juncti sint , opera atque auxilio aliquando indigerit ? quis subjectorum in Regem studium , vires , conatus adimat , qui non eodem momento imperio regiisque titulis exuat ? Neque vero religionis metum incutiendum ; cum ethnici imperatores Christiano ; Christiani Reges barbaro milite gravissima bella confecerint : Carolum V. Mauritiis Saxonum Ducis Albertique Brandenburgensis armis magna felicitate usum . An non iisdem armis , Turcis communibus reipublicæ christianæ hostibus obstitutur ? Imperium lacertis Pannorum ac Germanorum , quorum plerique a Romano Pontifice descivere , defenditur . Nuper Philippum Hispaniarum Regem Germanorum militum virtute ac fortitudine , Protestantiumque præsertim , Lusitanæ regnum occupasse . An ignorari , Francicum primum , Henricum Secundum cum imperii Protestantibus Principibus fœdera junxisse , pecunia ac milite ad libertatem tuendam juuisse ? eundemmet Henricum Germanorum Principum amicitiam coluisse , cum Angliae Regina fœdera pepigisse , uberesque modo ex iis fructus expectare ? Si qui minime accersendum Navarræum arbitrentur , eosdem non Germanorum , non Anglorum , non Scotorum , aut Helvetiorum subsidia adhibenda esse fateri necesse sit . Quid porro hoc est , quam Regem hosti prodere , regnum patriamque deserere . At Navarræum hæreticum esse inquiunt : an bac in causa de religione agi ? Regis vitam peti , regnum queri , ad Valesiam Borboniamque domum excindendam consilia dirigi . At Pontifex Regi sacris interdicet : an non ejusmodi Pontificum sententiae præteritos Reges adversatos fuisse ? Quid a copiis armisque destituto , in quibus tota dominandi ratio sita est , pertimescendum ? quid ab Hispaniarum Rege , qui jamdiu per cuniculos id agit , quod modo , ne palam efficiat , quidam verentur ? quid a subjectis , quorum insania ac furor ita excrevit , seque extulit , ut jam sensim in eorum caput res casu-